

16
ANN. XVI - FASC. I


MENSE JANUARIO MCMXXIX

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR, ROMAE, VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96.

Pro "ALMAE ROMAE", Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 350 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 700, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (*vulgo chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVI

Romae, Mense Ianuario MCMXXIX

Fasc. I

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solle* vendum rectoque tramite mittendam ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

ALMA ROMA ,

IN ANNUM MDCCCCXXIX

Quum superiorem annum tertiumque commentarii nostri lustrum concludentes aiebamus credere nos eius vitam non inutilem exstisset, non solum facem latinitatis usque accensam alteque sublatam fructusque generatim inde relatos respiciebamus, sed ad eventus duos praecipue intendebamus, qui miliarem hunc itineris nostri lapidem digne exornare viderentur. Licet enim « Alma Roma » nostra vocem suam, immortalem latinum sermonem, per orbem referat universum, quis unquam putaverit in longinqua barbaraque intima Africæ civitate Uganda, ita animos allexisse, ut latinus poëta illic surgeret? Atqui eum in his paginis hodie legit, indigenam quidem, ethnicum origine, deinde ad Christianam religionem adductum, et a duobus, ni fallimur, annis socium et lectorem nostrum fidelissimum.

Nec satis: quinimo ipsis nostris vestigiis institutum esse in Hispania vidimus, Emmanuelis Iové nostri opera, qui Missionariorum S. Cordis Mariae Sodalis, auctor fuit ut, sub *Candidati latini* nomine, domesticus, ut ita dicam, - in usu nempe tironum Congregationis suae, - novus condetur commentarius, isque trimestris, in quo magistri et discipuli quae grata aut opportuna haberent ad latinum studium impensis inter se colendum expromerent, operamque etiam, nec exiguum conferrent in res novas latine exprimendas. Quid, si hoc exemplum aliae quoque Congregationes religiosae fuerint sequuturæ? Nonne inde exsurget foedus

illud latine loquentium iam diu at frustra invocatum? Nonne sensim sine sensu latina lingua, - quod semper fuit in votis nostris, quod semper appetivimus, quod diuturnis laboribus nostris assequi continenter conatus sumus - universalis lingua fiet, imo redibit?

Non inutilis igitur, non vacua, neque imbecillis vita nostra; quam igitur, quoad Deus vires nobis concederet, eodem animo forti et erecto continuabimus.

Neque erit profecto nobis navis cursus immutandus; itaque hoc etiam ineunte anno omnis generis argumenta tractare studebimus, a litteris ad historias, a civilibus et oeconomicis ad religiosas et sociales quaestiones, ab iis quae ad artem diversasque disciplinas spectant, ad iocosa, ludicra et communia illa nostrae vitae, quae non ex hodiernis sermonibus, neque ex mentis fictione petantur, sed a parentis vitali rore haurire contendemus; curantes in primis semper, ut quamquam in varietate «denique sit totum simplex dumtaxat et unum».

Sic veteres socii pergent nobiscum in via, troyique plures accedant, ab iis praesertim requisihi. Si quisque unum tantum adduxerit, quantum roboris commentario nostro erit accessurum? Vetus est proverbium quod explanare supervacaneum est, vim unitam esse fortiorum.

Pretium annuae subnotationis, uti in superiore fasciculo ediximus, anno MDCCCCXXIX immutatum manebit; hoc est pro Italia libell. 15; pro civitatibus foederatis Americae Septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris universi orbis nationibus summa, quae Italicas libell. 30 exaequet. Communi huic subnotationi, alteram, suadentibus antiquis iisque fidelibus sociis nonnullis, addere placuit, quam *adiutricem* appellavimus; eaque erit libell. 25 pro Italia; libell. 50 pro exteris gentibus. In *Patronorum* autem Commentarii nostri numerum, uti semper, adscribentur qui summam libellas 100 exaequantem miserint, vel socios novos quinque saltem adportaverint. Eorum nomen publici iuris in Commentario fiet.

Praeterea qui integrum ALMAE ROMAE collectionem ab anno MCMXIV ad annum MCMXXVIII inclusive sibi cupiat - supersunt enim exemplaria nonnulla - mittat Italicas libell. 350 pro Italia; pretium duplicatum, scilicet libell. 700, pro exteris gentibus.

Ne quis autem harum consociationis legum oliviscatur:

1. Subnotatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.

2. Qui ALMAE ROMAE specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit - (quod nullo impedio facere poterat; quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea mittenti restituuntur) - tamquam socius valide reputabitur.

Denique, ex Herminii Iacobelli concessione, *praemium*, cuius impensae dimidium erit, cuique offerre possumus; opus dicimus eiusdem

auctoris, cui titulus *In campo latinitatis novi flores*, recentiorum rerum lexicon parvum et perutile. Qui ad ipsius domicilium (*Roma, Via Urbana 2*) miserit italicas libell. 4, librum accipiet.

Studium nostrum favore vestro proseguamini, o socii et lectores: *durate, et vosmet nobiscum rebus servate secundis!*

ALMA ROMA.

PRO LINGUA LATINA

Initium quarto vitae nostrae lustro non melius facere putavimus, quam recolentes memoriam magistri nostri desideratissimi et in compositione scriptoris elegantissimi, Petri Angelini, qui nobis iam anno MCMII in latinum commentarium, cui titulus erat *Vox Urbis*, studiose incumbentibus, de tuenda atque vulganda latina lingua scribebat.

Ante annos prope XL - ita ille, - quum studiis non ita magnus pateret aditus, doctrinaeque laus fere ad medicos, ad iurisconsultos, ad sacri ordinis viros pertineret, omnis institutio antiqua humanitate maxime nitebatur. Prolatis deinde cognitionis finibus ac litterarum, auctisque ob reipublicae conversionem civium negotiis et administranda civitatis officiis, haud respondere novis temporibus visa est vetus disciplina. Quare, non solum doctrina multiplex addita est litteris in lyceis, sed artium scholae institutae, quas *τεχνάς* vocant.

Brevi tamen, more gentis humanae in contraria vitia currentis, discendarum rerum moles adeo percrebuit, ut communis esset querela, onus Aetna gravius impotsum iuvenilibus humeris. Tunc exonerandi quasi navigii consilia agitari coepit, proposita earum rerum iactura, quae splendori aut voluptati servire magis quam necessitati aut utilitati viderentur.

Ad hoc genus pertinere non solum graecam, sed etiam latinam linguam facile rati nonnulli clamitarunt: ecurtanta cura demortui sermonis pro linguarum praesenti commercio, quum adulta iam ad populare imperium civitas longe alia studia postulet, quam quae sit minimo usui? In antiquis enim litteris persequendis, aut rerum cognitionem spectas, aut artis exempla. Atqui primam exhibet multo uberiorem nostrae aetatis conditio, ita ut nec medicum iam reperias, qui C. Celsi, nec agrorum peritum, qui Catonis, nec architectum, qui Vitruvii paginas requirat; artis vero non desunt optimi interpres. Addunt, plerosque adolescentes aegre studia ista persequi, quae nihil habeant unde iuventur in vita; si quae forte latina didicerint, earum rerum, vix confecto cursu lycei, memoriam omnino evanescere.

Haec et similia qui spargunt, ii profecto non meminerunt viam rationemque impertiendae doctrinae in secundi ordinis ludis. Etenim certam aliquam artem qui profiteri velit, huic patent magna athenaea.

Media vero institutio gymnasii ac lycei id unum habet propositum, ut hominem formet, non ut doctorem pariat vel artificem. Quare primum eos ludos vitae bene ac sapienter instituendae praecepsis abundare necesse est; tum acuenda mens philosophia in usum deducta, simul illa exhibenda, quibus maxime excitetur animus

ad pulchri rectique sensus, uti monet Quintilianus: «Pueris quae maxime ingenium alant atque animum augeant praelegenda.»¹ Ad haec autem nihil forte studio latini sermonis utilius. Admirabilis fuit enim romana magnitudo atque subtilitas, nec sententiarum solum, sed etiam verborum, ita ut qui in eius linguae structuram atque artificium diligentius inspiciat, is det operam sapientiae. Ex hac palaestra latinitatis prodierunt italicarum litterarum praeclera lumina; quo factum est, ut pari rerum eventu utraeque litterae coniunctissime vixerint. Ex eadem palaestra ad athenaeum deducti nostri adolescentes longe ceteris antecellunt, qui, simili ingenio, e scholis artium venerunt. Habent enim illius, quod optimum ac decorum est, speciem quamdam et quasi formam in animo sensuque expressam, qua ceteri carent.

Aiunt, latinis litteris suffici posse recensiones linguas, cum vernaculo sermone mutuo conferendas. Verum, quam longe minore fructu, propter nimias affinitates! Non his iudicium satis acuitur, non his patriae litterae roborantur. Quaerenda stirps altior; intuenda antiqua mater, cuius Itali nos retinemus lineamenta quae-dam, effigiem totam cum labore referimus. Vivus igitur sermo vitae robur accipiat a mortuo, ducto exemplo a Romanis, quibus solempne fuit cum Graecis semper latina coniungere.

Ceterum haud inficior, sermonum qui modo vigent notitiam esse perutilem; quamquam, si omnia, quae usui esse possunt, essent in scholis praecipienda, non video cur in lyceis non etiam cytharae ac fidibus, cur non saltationi, cur non rei culinariae debeat esse locus. Sed haec idcirco suo quaeque ingenio et privatis magisterii relinquuntur, quia rami potius quam radices stirpesque humanitatis ha-

bentur, ita ut non turpe videatur in iis hospitem esse.

Quod sicui forte futilia videantur quae ad artem et iudicium pertinere diximus, is secum reputet, quantae ex latinis litteris congerantur opes ad nostrarum rerum pleniorum subtilioremque notitiam.

Vivit enim adhuc avorum humanitas, et, velut cum effectu causa, cum praesenti humanitate coniungitur; vivit in civium sensu latinitatis; vivit in sacris et prolatis monumentis; vivit in congerie librorum paene infinita; in Religionis usu maxime vivit.

Quamobrem, aut extra historiam, seu, quod idem, extra vitam, erimus collocandi, aut latini sermonis adserenda necessitas. An vero sacram linguam Indorum, quam *sanskritum* vocant, quod penitiores philologiae vel historiae investigationes apprime iuvet, summo studio efferemus; latinum sermonem, quasi molestum hospitem propulsabimus?


At latium sermonem obliviscimur citius quam didicimus. Quasi vero aut mathesim, aut historiam, aut alia diutius teneamus, nisi ea profiteamur; quae tamen omnia de medio sufferre cogitat nemo. Sparge semen; inscio te, forte etiam invito, germinabit. Nonne adspectabilis haec rerum universitas coalescit atomis, quorum quisque mentis nostrae aciem, nedum oculorum, fugit? Ita iuvenilis institutionis elementa pariunt doctrinae molem, te frustra quaerente, quibus maxime rebus illa succreverit.

Denique quod plerique adolescentes ab hoc studiū genere abhorreant, quod quidem non facile credimus, id satis argumento est, minime agi de re nugatoria. Utcumque tamen se res habet, quis invitox unquam cogit ut lyceum adirent? Iamdiu patent instituta, in quibus studia physices ac mathesis, remotis latinis litteris, locum obtinent scholarum secundi ordinis. Quid prohibet quominus idem permittatur futu-

¹ QUINT., *Inst. orat.* I, VIII, 8.

ris actuariis, causidicis minoribus, veterinariis medicis, pharmacopolis?

Sic expurgatus ager edet meliores fructus; sic tyronum doctrina de litteris poterit tentari severius; sic denique studio latinitatis relicto maioribus disciplinis, et utilitati singulorum prospicietur et litterarum dignitati.



De Saneto Hilario Pictavorum Episcopo

De doctissimo hoc viro eodemque sanctissimo scripturus, optimum factu repute, perspicuitatis praesertim gratia, haec pauca praefari.

Ab hinc aliquot dies, forte mihi ob oculos volumen occurrit, cui est titulus: «Hilarii Tractatus de Mysteriis et Hymni, cum s. Sylviae Aquitanae peregrinatione». In urbe Philippus Cuggianus, Romanus librorum officinator, in vulgus edebat, anno octingentesimo septimo et octogesimo supra millesimum.

Quum primum hoc volumen libenti animo perlegere coepisset, subito vehementis mentis cupido me invasit illud totum oculis usurpare, ut scriptoris potissimum latinitatem pernoscerem. Multa enim de eo scripsisse S. Hieronymum memini, de eius fidei integritate atque eloquentia, quae non in concionibus tantum, quas in templis haberet ad populum, sed in lucubrationibus passim elucet, quibus Christianam doctrinam ab Arianorum incriminationibus acerime tueretur.

Nulla tamen mihi felicior, nulla aptior occasio! Quam Hilarius et Sylvia dispares sunt! Nulla est cum ipsis duobus comparatio, etiamsi eadem aetate creverint iisdemque in scholis operam dederint. Namque Hilarii dictio elegans est atque nobilis et aliquando ore romano discurrit, sententiarum altitudine sane perspi-

cuus; Sylviae vero oratio humilis omnino et simplex est, et nativa quadam rusticitate ac puerili modestia sponte fluens, novam omnino popularemque loquendi consuetudinem lectoribus offert.

Quo facto, —sic ego mecum loquebar,— dum Felix Ramorinus, quem honoris gratia atque amicitiae hic nomino, historiam primarum latinarum litterarum eleganter, qui suus est mos, enarrat, suosque lectores mirum in modum rapit atque delectat, iuvabit identidem me eos sequioris temporis scriptores memorare, qui sui ingenii viribus et studio obstiterunt, quominus Romanae litterae, in barbarorum incursionibus, subito in perniciem ruerent.

Sic ille, romanarum elegantiarum studiosos exemplo vehemente hortatur, ut «hanc haereditatem, quam a maioribus nostris accepimus, diligentissime tueantur, idque saepius animo reputent, ne rerum suarum pertaes, externa atque adventicia sectentur».

Ego, e contrario, praeteriti temporis spatium respiciens, pro viribus, lectores monitos velim, ne dominorum orbis veterum nimio amore abrepti, lividis oculis posterioris aetatis scriptores omnino despiciant; quin imo haud superbo superciliosus spernendos esse autument. Ipsi enim re bene perpensa, sunt potius in scribendo latinarum litterarum sospitatores quodammodo dicendi.

Quae cum ita sint, inter praeclaros christianaे sapientiae scriptores, qui saeculo quarto, senescentibus latinis litteris, insignem sibi famam comparaverint, ad numerare haud dubitaveris Hilarium, Pictavorum episcopum.

Antequam vero ad Hilarium venio, qui cum summis est componendus, pauca in medium primum proferam de Sylviae, eius alumnae, peregrinatione. Magnum est utique, uti monui, inter utrumque discrimen.

Hilarius, vir plurimis studiis enutritus, elegans est atque nobilis tum ob scientiae doctrinam, tum ob exquisitam in verbis eligendis puritatem; ut inter prioris equidem aetatis scriptores sit potius adnumerandus, quorum elegantiam, in sua scribendi ratione, miro ingenii studio, usurpare nititur; Sylvia, ex adverso, humilis plerumque et simplex, et juvenili prope usa confidentia atque venia, libera per vacuum posuit vestigia princeps. Atque adeo virgo, gallica, ut ita dicam, urbanitate persuens, eam locutionem usurpavit ita tamen sponte fluentem, ut novam promedium effigiem obtineat, at graphicis simul eloquium vulgi ac pedestre refert, quod cives romani, labente saeculo christiano quarto, adhibere consueverint.

Adeamus ad exempla. — Narrat ipsa peregrinationem fecisse ad loca sancta, quae vulgo sic appellantur regiones illae beatissimae, quas Iesus suis pedibus insignivit et percussit. Eius vero loquendi dictio, quam longe iam distat ab aurea Augusti aetate!

Placet tamen, quoniam lingua romana novum quasi vultum induit, et maxime nobis exemplum eloquii romani eius aetatis praebet.

Ad rem, sic ipsa scribit: «Id enim nobis semper consuetudinis erat, ut ubicunque ad loca desiderata accedere volebamus, primum ibi fieret oratio, deinde legeretur lectio de codice — (de Evangelio scilicet), — diceretur etiam psalmus unus pertinens ad rem, et iterato fieret oratio».

Ad horam decimam «accenduntur omnes candelae et cerei et fit lumen infinitum!»

Psallitur, et diu oratur, et Episcopus sedet susum, — (id est ab alto toro) — fit mortuorum loci memoratio: diacono dicente singulorum nomina; semper pisi-nui — (pueri) — plurimi stant respondentes semper: *Kyrie eleison*, quod dicimus nos: Miserere nobis Domine; quorum voces

sunt infinitae. Una fit refectione: *De sera ad seram!*

«Et quoniam, nescio quando, dicitur quidam fixisse morsum et furasse sancto ligno(?) ideo nunc a diaconibus, qui in gyro stant, sic custoditur, ne quis veniens audeat denuo sic facere».

Demum magna comitante piorum catarva, ad Templum it Ierusalem, quod summa Helenae imperatricis munificentia, post Crucem inventam, in Calvario monte conditum est. Quod quidem etiamsi haud esset ut aliud Romanorum igni ac furore consumptum, neque iam

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,

non sua tamen gloria caret ac religione.

Verum plura addere mihi grave esset ac fastidiosum, quum quae in medium retuli, sufficient, ut quisque mente assequi possit, quae iam sit lingua romana apud gentes, et quo sit Hilarius honore laudandus, qui in corruptissima aetate, elegantissime scripsit et litterarum latinarum ornamentum atque lumen iure appellari multi argumentis meruit.

I. B. FRANCESIA.

De Romanorum vestibus¹

Reliquum est, ut de mulierum vestibus *Stola* et *Palla* extremo hoc loco pauca dicamus.

Stola Romanae matronae maxime utebantur; ex quo factum, ut nonnunquam ipsum huius vestimenti nomen pro matronis ipsis poneretur. Hanc loquendi formam sequutus est prae reliquis Valerius Maximus (V, 2, 1), ubi de subsidio per Coriolani matrem Veturiā uxoremque Volumniam periclitanti patriae praestito agens, refert postremo confessos patres esse,

¹ Cf. fasc. mens. Novembr. MCMXXVIII.

«plus salutis reipublicae in stola, quam in armis fuisse.»

Fuit autem haec vestis tunica talaris, ac manuleata; quae postquam imposta erat, zona cingebatur. Eam totam purpuream tum instita imae orae adsuta, tum segmina aurea (scilicet fasciae seu virgae, ut nonnulli explicant) passim disposita exornabant. Liquet id potissimum e narratione eiusdem Valerii Maximi, qua senatus Romanus iam antiquitus matronarum ordini permisso dicitur «purpurea veste et aureis uti segmentis». Ex quo illud etiam sequitur, matronas ante hanc sibi factam copiam stolis plane vulgaribus usas fuisse.

Hae vero alterius gradus stolae, «plebeiae» a Propertio (II, 9) appellatae, quales omnino fuerint, compertum non est. Opinantur tamen nonnulli albas eas fuisse, aureo tantum lembo insignitas.

Unum modo de stolis hoc addatur, eas apud exteris gentes non solum foeminarum vestimentum, sed etiam virorum, ac maxime principum, exstisset.

Palla quoque muliebris amictus erat, quae, ipsissimam pallii formam referens, stolae iniicebatur. Itaque apud Livium (XXXVII, 4) Senatus Romanus dono mittit Ptolemaeo regi «togam et tunicam purpuream; reginae (Cleopatrae) pallam pictam».

Ex quo loco patet simul, eiusmodi nonnunquam vesti illitum phrygionum opere aurum fuisse. Talem etiam exhibit Maro (I, 652):

... *Pallam signis auroque rigantem.*

Et talem ferme usurpabant citharoedi, tragoedi, et saltatores; quorum omnium item fuit pallam induere.

At quoniam colore, quibusve ornamenti praeditam gestarint Romanae mulieres, exploratum non est.

Haec autem quae hactenus, de Romanorum vestibus sunt.

G. A.

Certamen poetum Locrense

Publici iuris tandem factus est exitus certaminis poetici Locrensis, a clarissimo viro doctore Carmelo Triumviri instituti, tum in annum MCMXXVII, tum in annum MCMXXVIII indicti.

Alter fuit prouti sequitur:

Certaminis victor exstitit, ideoque aureo numismate est donatus, ADULFUS GANDIGLIO, doctor litteris tradendis, carmine: *Post discessum Brundusio Maece-natis*.

Praeterea laude magna ornata sunt carmina: *Avia* (auctore QUIRINO FICARI) et *Paulus* (auctore JOSEPHO MORABITO).

Denique laude digna iudices recognoverunt carmina inscripta: *Amicorum minimus*, *Chorilla et Halmus*; *Sabini ruris luctus*; *Crathis*; *Tros Anchisiades*; *Veteris vestigia flammae*; *Herculanum resurgens*.

In certamine vero anni MCMXXVIII nemo repertus est, qui aureo praemio honestatur; sed tantum laudati verbis amplissimis sunt DOMINICUS MIGLIAZZA, qui *Redditum Sardinia*, et iterum JOSEPHUS MORABITO, qui *Martyres* cecinit; laudata autem carmina: *Redditus Tibulli*; *Divina nox ultimi Ioannis Pascoli carminis*; *Personae et vultus*; *Italicae gentis origo*; *Parvus amicus*; *Flavia et Vitinius*; *Pauperculum (?) Assisas*; *Certamen pastorum*.

Nunc iterum novum est certamen indictum his legibus:

I. — Certamen ipsum omnibus, tum Italiam tum exterarum gentium, scriptoribus patebit.

II. — Carmina neve minus versibus quinquaginta, neve magis struentur versibus trecentis; neve ab alia lingua translata exhibeantur, neve alibi edita.

III. — Libertas amplissima conceditur tum de argomento, tum de numeris.

IV. - Carmina portabili prelo scripta, et sententia aliqua munita, quae super involucro sigillis obsignato repetatur, quum in ipso involucro tecta fuerint nomen, cognomentum, aetas, tituli atque domicilium auctoris, unica hac inscriptione mittantur: *Diresione del Collegio «Principe di Piemonte» in Gerace Marina (Italia-Calabria) ante diem xxxi mensis Martii MCMXXIX.*

V. - Praemium victoris erit numisma aureum, valore italicarum libellarum mille, dedita ad rem opera cusum; propriumque diploma.

VI. - Praeter carmen praemio ita honestatum, et de aliis, quae laude digna inventa fuerint, mentio fieri poterit, singulique auctores testificatione membranaceae chartae tradita donabuntur.


VII. - Carmina sive praemio sive laude distincta in vulgus edi poterunt, at proprietas certaminis Conditoris fiet.

VIII. - Iudicium coetus tribus viris constabit, iisque auctoritate gravibus et in campo latinae poësis optime versatis.

IX. - Huiusmodi coetus singillatim et coniuncte de exhibitis carminibus referet intra menses tres, a kalendis Aprilibus.

X. - Qui hisce legibus quovis modo non obtemperaverint, a certamine omnino prohibebuntur.

XL. - Carmina ad certamen missa, etiamsi nulla eorum mentio fiat, mittenti nunquam reddentur.



IN GRATIARUM ACTIONEM.

Ad reverendissimum virum Paulum Voillard, Praepositum Missionariorum ad Africam, Bukanasam visitantem.

Iam dies lucet nimis auspicatus,
Mente quo laeti recolamus actus,
Et Patrum dignas celeremus ore
Promere laudes.

*Cum iaceremus tenebris opacis
Obruti, spiris satanae repressi,
Lumen incepit simul ac levamen
Surgere nobis.*

*Qui regis Stirpe, Patribusque rite
Praesides Albis, Venerande Paule,
Quas eis laudes celebramus, audi,
Queso, benigne:*

*O Sacerdotes pietate pleni,
Arva liquistis patriae lubenter,
Ut iugo Christi populos Uganda
Subiiciatis!*

*Vos nec absterret pelagus severum,
Vos nec atroces cohident dolores,
Vos ab inceptis minime repellit
Mors properata!*

*Parce Sermoni, Pater, altiori,
Nam iuvat longo memorare Versu
Hi Patres quantum satagant perenni
Munere fungi:*

*Explicant signum Crucis, unde Vita
Effluit nobis, poliunt vetustas
Indoles, cultum refovent Mariae,
Sacra ministrant.*

*Et dies claudunt medio sub aestu,
Instruunt blandi iuvenum catervas,
Recreant omnes, male quos recurvat
Tarda senectus.*

*Leniunt maestos, lacrimas retergunt,
Sunt salus aegris, miseris crumena,
Ditibus solers manus, omnibusque
Omnia facti!*

*O Gubernator, sinito parumper,
Missionales semel alloquamur,
Hosque permultos genuisse fructus
Voce canamus.*

*Adfuit Vobis Dominus, favensque
Contulit Virgo benedictionem
Ausui sancto: cito pullularunt
Semina vestra:*

*En colit Iesum numerosa turba;
Martyres ultro subiere mortem;
Virgines sese Domino ligarunt;
Presbyter adstat!*

*Gratias Vobis agimus, Magistri,
Mente demissa: premimur dolore,
Quod valet nemo meritas venuste
Reddere grates!*

*Nomen in nostris animis habetis
A Deo sculptum, dabit ac laboris
Ipse mercedem superis in aulis
Cuncta per aeva.*

Scr. Bukalasae in Uganda, mense Maio MCMXXVIII.

ALOISIUS NGOBYA.

DENUO AD URBEM ITUR

BREVIS DESCRIPTIO ITINERIS.

Ad vos, humanissimi lectores, relicts ruribus, atque ad Urbem redeo. Vivo ego quidem et diutissime viverem, ita si Deo placeret. Ut vix Taurinorum Augustam reliqui, ubi commode aliquo tempore neque otiose permansi, non recta ad Urbem contendi.

Multa descripsi de insigni Principe Emmanuele Philiberto; maiora mihi essent scribenda, si modo paucula iterum in medium referre vellem, quae passim dicta sunt et novissime ab antiquis monumentis curiose sunt effossa. Quae bellicae virtutis gloriae, et potius quae Christianae sapientiae cognitio, qua unice fretus Subalpinorum nomen, Sabaudiae domum renovavit.

Harum rerum plenus aliarumque memoria tactus, ad Urbem iter sum agressus, ubi plurima iam me nova manebunt, et potissimum ubi sedet aeternusque sedebit Pontifex Maximus, qui virtutibus, ingenio, sapientiae in dies admirabilis, Italicae

dignitatis et incolmitatis adsortor, invicta fide Petrum, ardenti religionis studio Paulum refert.

Si ab Augusta Taurinorum proiectus, recta Urbem petissem, uti omnibus est palam, paucis post horis, quod patribus nostris incredibile reputaretur, ego facilime potuisse Romam contingere et dulces socios amplecti. Dum «mediae per laeta silentia noctis» festinanter procedis, potes, modo si cupias, et pro nihilo, habere lectulum, bene stratum et cum stragula vesti, ut in aedibus tuis atque ita, percurrentibus curribus, molles simul carpere somnos.

Iuvat enim et in itineribus nova rerum inventa, adnitentibus hominibus, ad sidera laudare. Paulo ante, modo, quo rapidius securiusque iter beatioribus pararetur, immanis machinarum moles adhibebatur, quas superbe saepius et gravissimo pretio, Anglia vel America mittere consueverat. At simul quot nigerrimi fumi volvina evomebant! Quot sibila primum, quae viatorum aures fastidiose dilacerarent, et Reginae quodammodo proficiscentis nuntium referrent. Nunc mutatis omnibus, quidquid semplicitate et commodo fit, quodque melius, ausu nostro atque ingenio.

Et ipsi Gallici cives, quorum natione modo dux erat et magistra novarum rerum in gentibus, quum primum ex suis finibus exeunt, atque Italiam ingrediuntur, vident nos cum exteris gentibus de bonarum artium principatu certare potuisse et superiores evasisse.

Hinc enim, ex primo illo Italiae limine, unde saepe Barbarorum turmae in damnum nostrum ruere consueverunt, in praesentiarum immensus vis electricae apparatus incipit, in commodum omnium populorum, usque ad Ligurnum portum. Magnum sane Italorum ingenii experimentum, qui, exardescente omnium tetrorimo bello, deficiente omnino in nobis

lapideo carbone, quo omnia commercia saeculi nituntur, Romano utique ausu, ex suis fluminibus, in suorum utilitatem atque in omnium late populorum admirationem, insperatum auxilium fidentissime exprompsere.

Dum haec et alia mecum ipse mente revollo, curricula parantur, peregrini frequentissimi adveniunt atque amici amicis omnia fausta auspicantur. Ruit tamen hora solemnis, et tacite, parvulo sibilo emissio, lenis, lenis primum machina se se movet et septis stationis rapide exactis, liberrime per prata, per vineas et per rura maxima festinatione proripit.

Quum ad primam stationem ventum est, atque ministri, apertis singulorum curruum ostiolis, viatores monent nos Astam Pompeiam pervenisse, qui ad latera mea sedet, Alferium poëtam meminit. Cui, amoris gratia, oculis amice micans adieci: - Hic utique est Victorius ille, qui italicae Melpomenis vindex, veterum tragicorum gloriam est consecutus. Qui temporibus suis, reviviscente patria,

Libera per vacuum posuit vestigia princeps.

Honestum hunc nostrum sermonem abruptit, post per breve moram, sibilans iterum machina, quae ad urbem Alexandriam Statelliorum contendit. Libenti profecto animo hanc urbem inviserem, quae tot civibus illustris longe lateque percrebrescebat, ob arcem quae pro Italiae libertate, semel iterum regionem nostram ab hostium incursione vindicavit.

Maior me rerum memoria militumque tumultus ad sequiorem stationem manebat. Namque haud ita multo longe patet parvulus pagus, cui est nomen *Marengus*, ubi Napoleo, dux modo Gallicarum copiarum, et postea ob magnam victoram de Austriacis relatam, tot bellis feliciter gestis, in omni fere Europa dominatum obtinuit. Quae hominum confusio! Qui venit, qui proficiscitur, qui rerum multi-

tudine abreptus, hue illuc multa circumspicit!

Dum et ego ex ipso currus ostiolo oculis celebrem armorum aciem contemplor, ubi ineunte saeculo superiore certamen pugnatum est, uno temporis momento multitudine gentium transacta, inter magnum silentium, ad sibili signum proficisciuntur.

Nunc inter montes itur et inter Scrimiam torrentem usque ad Ligures. Aër identidem clarescit, et multa iam vestigia cernuntur reviviscentis Liguria. Habitantium ingenia varia atque ad quaestum in immensum prona, omnia pati fortiter parata potiusquam mordicus a recto tramine declinare.

Ad Genuam, tamquam ad patriam domum respiciunt; ut ipsam identidem invise possint, omnia quaeque sustinent, vel graviora superant. Fuit enim Genua potentis reipublicae sedes, cuius imperium gratulantes memorant, eiusque in dies gloriam auspicantur. Et urbs, nostra aetate, suffragantibus Superis, in immensem crevit, atque, ut omnia amplissime dicam, relicti modo Alpibus quum primum in latiora loca perveneris, tu ad Genuae portas ingrederis. Nova enim civitatum dispositione, Genua se se extendit ad Pontem Decimum, qui capit is Liguria nomine gloriose percrebrescens Genua nominari novissime est passus.

Quo facto, si quid de futuris aliquando conjectura assequi possimus, paucis labentibus annis, hinc inde supergressa Genua, civitatibus pedetentim absorptis, cum amplissimis Europae urbibus, magnitudine, civium numero (rerumque opibus) decertare posse videtur.

Utile vellem hic vel uno die morari et primi veluti aëris Italici claritate comode frui; sed me ad Urbem impellit secreta eius pulcritudinis imago et nova rerum series, quae meum iam pectus mira suavitate vellicant. Quam velociter Genua progreditur melior in dies!

Quae vero immensa hominum multitudo, quaeque sermonum varietas!

Et quod Tullius in maritimis civitatibus passim accedere notabat plerumque admiramus, invenis amplissime in mirabili urbe Genua.

Hic vir te, velocitate pressus, conculet, vel incaute cursitans urget, nec a te ullam veniam petit, sed nullo retentus impedimento, suisque securus, vadit, currit, redit, milliaque una hora agit, eo omnino unice intendens, ut sollicite rem suam curet, atque ad currus sine mora redeat.

Iam omnia circum silent, et fores ex quibus identidem nuper velociter exire solebant peregrinantes, clauduntur; perpetuus ipse diariorum vendor sistit, et qui celerrime communiora ad victimum necessaria vendit, munere veluti suo functus, capones removet et salsa mentem, et ipse sollemniter sibilum monitorem exspectat.

At paulo ante, negotiolum eius undique irruentes obsident, fastidiose vexant, premunt, et festinanter quibuscumque pretiis arripunt, et quae domi superbe aspernent et mille quoque servos obiurgationibus incusassent, nunc hilari vultu cum gratiis sumunt, et voluptate rodunt. Quae ingenii diversitas!

Tunc demum, plaudentibus cunctis, in viam iterum nos ponimus. Velociter ad aures transeunt atque ob oculos pulcherrima oppida occidentalis Liguria usque ad Lunae portum, qui largior in dies et speciosior est Italicae classis honor et ornamentum.

En Pisae!

Comites mei ad fenestellas accurvunt et conspicillis taciti contemplantur atque observant templum turrimque pendentem, eamque sibi invicem vocibus manibusque ostendunt.

En Liburnum, felix civitas Pisarum aemulatrix, quae matris pulcritudines propediem superare contendit. Est nova admodum urbs, quae mirum in modum

secus litus se se portendit, ibique olentes areolae cernuntur atque amoena vireta, ubi sub vesperum animi causa, caeli marisque magnificentia adlecti, cives atque advenae frequentissime ad deambulandum convenient.

Verum nunc recto imus, viamque citissime carpimus Centumcellas usque, ad portas veluti Urbis.

Eius portus magnificentiam mente conspicio eiusque immortalē auctōrem praesentem sentio, et ipsum eius historicum, quem honoris gratia hic amicissime memoro: Albertum Guglielmotti, qui eum nostra aetate Liviana magnificentia atque elegantia descriptis. Dum haec atque complura alia pectore volvo, et oculis propemodum aspicio: Romam, Romam omnes conclamant, et Romam laeto socii clamore salutant.

Et cum magna atque carissima urbe vos ego quoque, humanissimi lectores, saluto.

SUBALPINUS.

COMMUNIA VITAE

Specimen de electridis nomenclatione latina.

Electreum filum.

Duplex vel triplex funiculus.

Lignea virga (Ames opertus) filis tegendis.

Electreorum filorum coniunctio.

Secludens lemniscus.

Basulae.

Bulla.

Clavi.¹

Murrhini globuli.

¹ Italice *bolloni*.

Gummi tubus.¹
Cavum sub plumbo.
Cocleae.
Quod dissociat; lucem avertit; commutat; abrumpit; invertit (subaudi: Instrumentum).²

Lucis retinaculum; Instrumentum interrumpendae luci.

Lampades tubulatae (tubo similes); ad piri formam, etc.

Candescentes lampades; Lampades ex candardibus carbonibus.

Lampadulae (Lampades minuscula forma).

Lampades Golia (coniunctione, quam Goliam nuncupant).

Parvulum electreo tintinnabulo pirum. Fistulae.³

Lampadis fulcimen (simplex, clavi munitum).

Electreus studiosis lycnus.

Cornua (ex Hispania; caryophylla et sim. ornata).

Anularii nexus lampadibus gerendis. Electridis rivulus.⁴

Spina lucifera.⁵

Vis electreae comprehensio.⁶

Lucis repercutsum.

Obturaculum Edisonii.

Capsula.⁷

HERMINIUS M. IACOBELLI.

¹ Vulgo flassite.

² Italice isolatore, segregatore, commutatore, interruptore, invertitore.

³ Italice pipe.

⁴ Italice presa di corrente.

⁵ Italice spina d'innesto.

⁶ Italice presa di energia.

⁷ Italice valvola.

Ab alio exspectes alteri quod feceris.
Ad duo festinans, neutrum bene peregeris.
Arbores deiecta, ligna quivis colligit.
Camelus cupiens cornua, aures perdidit.

PUBLIUS SYRIUS.

COLLOQUIA LATINA

Ludus trudicularis¹

ANSELMUS. - Placetne trudiculis ludere?

BLASIUS. - Placet, equidem, at seni sumus.

GILBERTUS. - Quid tum?

BLAS. - An terni certare in ternos possimus?

GILB. - Cur non?

HILARIUS. - Id quidem facile; expeditius tamen fuerit geminorum certamen in geminos instituere: reliqui autem duo sponsione certent.

IULIANUS. - Hoc pugnae genus ego subibo lubens; sum enim in hoc ludo plane rufus.

MORINUS. - Ego vero, sat mihi videor peritus: at quum hodie mihi dexterum torpescat brachium, prudens abstinebo.

ANS. - Eamus ergo; hanc ingrediamur domum duplici celebratam trudiculari arca. Ad inferam accedamus.

BLAS. - Plurima huic insunt vitia.

ANS. - Nihil refert: sollertiae est peritiæque iudentium, vitiis huius generis abuti ad victoriam.

BLAS. - Id ei proclive fuerit, qui illa norit: nosti autem tu, qui frequens trivisti hunc ludum.

ANS. - Non admodum frequens.

GILB. - Expedite trudiculas et pilas.

ANS. - Ecce.

HIL. - Pilae suntne ex ebore?

IUL. - Numquid vides?

HIL. - Non videntur quidem certe, nec satis rotundae sunt.

ANS. - Quam voles elige tibi: datur optio.

¹ Ex ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus. Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit J. F.

BLAS. - Nos ambo vos ambos habeamus adversarios.

GILB. - Placet: at quo certamus præmio?

HIL. - Merenda a victis victoribus persolvenda.

BLAS. - Per me non steterit.

ANS. - At ego malim certare pecunia.

GILB. - Non abnuo, iusta habeo; quanta vero pecunia?

ANS. - Libella una.

BLAS. - Deponamus igitur: en depon prior.

ANS. - Agedum, auspicemur. Traieci... transii

GILB. - Transmissurum me quoque spero aequae feliciter.

BLAS. - Perverse traiecisti; transmisisti.

GILB. - Errorem brevi correxero.

HIL. - Primas sum assequutus; bene est.

BLAS. - Vah! quid fecisti?.. Dediti te in praedam; obiecisti te ipse discrimini.

ANS. - Succedes me in tutum, si placet.

GILB. - Sane; ni prius te campingam in fornicem. Hei! in ipsa fundulæ ora haesit globulus.

IUL. - Nempe quia nihil pene declivitatis est illam ad arcum.

MOR. - Adversarii loco pulsi opportuno ad transitum, locum ipsum, si potes, occupa.

BLAS. - Non est mihi integrum; expeditus non sum; in arctum sum redactus.

ANS. - Te mox expediam: vades per me liber.

GILB. - At tu constitue te commode in loca ad transitum, aut obiice te ipsi metulae.

HIL. - Conabor.

IUL. - Proh! quam lusisti imperite! te ipse conieci in angustias.

BLAS. - A scopo deerravi.

MOR. - Trude loco hunc globulum.

IUL. - Tu autem illum perstringe leviter.

ANS. - Atque tu reperecessum hunc emove.

GILB. - Ignoscat tibi Deus! Attigisti.

ANS. - Quid ages? Frustrantur illisi margines.

HIL. - En præcipitat; in barathrum ruit.

GILB. - Heu! quid egī? Illam trudendo pilam, me detrusi in latomias.

IUL. - Ad illius globum collinea; totus patet.

MOR. - Heus! pede contingit terram. Non pervenit.

ANS. - Longinquiores petere non valeo globos.

GILB. - En tibi, reperecessum hunc loco pello.

BLAS. - Ducas pilam.

HIL. - Ictum iterasti. Palmam amittes.

ANS. - Immo semel ici.

BLAS. - Clavulae cauda hic utendum.

ANS. - Hinc illum deiice.

MOR. - Praeclarum, vero fortuitum casum!

GILB. - Tota, si possim, area eius exturbabo globum.

IUL. - Tibi sors obsecundat; manum regis quem pilam trudis.

BLAS. - Illum impete.

ANS. - In tuto est: ictui obnoxium non habeo.

BLAS. - Ad illum, inquam, qua patet, ictum destina.

GILB. - En illum intus. Vicimus.

ANNALES

Anno MCMXXVIII occidente.

Qui occidit annus MCMXXVIII, in sequenti molestam hereditatem relinquit. Universo orbi gravis incumbit aër, veluti si vix bellica illa fornace exierimus, quae per lustrum terram consumpsit. Nominibus finibusque mutatis, homicida rabies dentibus adhuc frendet; sanguis terra mari-

que latissime effusus non satis fuisse vietatur ad obscenam Martis edacitatem satiandam.

En Sinarum populus tres iam annos civili bello excruciatus; Indorum a seditionis prophetis sub assequendae libertatis specie commotus; Turcarum, in summa religionis contentione, ob audacter a Kemalio res novatas; antiquam immutatamque semper traditionem supprimentes; Armenorum, etiam atque etiam fremens adversus diuturnum suorum tyrannorum dominium; dum Syria et Palaestina, magnarum nationum iocus factae, iocorum aleam subeunt; et Afganistan tumultu ac seditionibus versatur in regem suum motis, cives ebrios facere appetentem occidentalii humanitale. Numne Mexicanam civitatem, heu! nimis infelicem memorabimus?... Ab Iteal non longe, Boliviana et Paraguaya pro aridi deserti ora arma acuunt.

Propius ad nos, in Balcanica regione, pariterque in Danubiana, tanti momenti quaestiones adhuc agitantur, ut timendum non iniuria sit, ne illud, quod vulgo «nitrati pulveris Europaeum receptaculum» vocatum est, ex improviso maximo cum fragore atque ingentissimis damnis exardescat. Praeterea Iugoslavia rebellibus disiunctionis Croatorum artibus laniatur; Romania in agricolarum factionis manibus de se ipsa incerta appareat; Bulgaria Macedoniae somno turbatur; Graecia recentes Kemalianas contumelias ulcisci cupit; Hungaria ancipitem sese monstrat inter regium populareque dominium; Bessarabia a Bucarestino et Moscovia contenditur; Austria desiderio flagratur sese cum Germania uniendi; Lithuania Wilnensem cessionem iniquo animo perfert. Quid ultra? Omnes parvae nationes a recenti bello exortae, a Baltico ad Aegeum mare, intentis armis ad fines suos vigilant; in hanc enim statuum congeriem, qui infirmam vitam a Brest atque Ver-

salia, a Saneto Germano ad Sévres repentunt, cupidis oculis minisque superbis avide intuetur Russicum monstrum, mortiterum venenum effundere ubique ministans. Quamquam illic etiam, in profundis illis mysteriis, sunt motus, rebellio, factio numerum luctae, odia erumpentia, nefarie flagitioseque facta, foeditates nunquam auditae occultantia, fames macerans, servitus vilis.

Iuxta Rheni undas stant repugnantia, quae dissolvi nequeunt, quae nullus coetus, concilium nullum sedare valebit. Aquae appetiti fluminis, quae iam a Cesare maximos historiae eventus viderunt, minacia verba vel in futurum susurrant.

Nulla quoque tranquillitatis causa, ne ab internis quidem vicibus occidentalium nationum, profertur: ethica ipsa atque psychologica deliramenta, a quibus populi salutem ac felicitatem sperarunt, omnis generis criminum relationibus conteruntur: Gallia, eorum index primus, ab hisce ignominiose suffocatur.

Hanc itaque miseram hereditatem annus moriens nascenti committit: his auspiciis annus MCMXXIX viam init. Sed licet argumentum humanum nullum succurrat, ut animus bona spei cum novo anno aperiatur, Christianae tamen nostrae menti inextinguibilis lucis ignes effulgent. Roma aeterna eas alit, quae novam hominum multitudinem hoc anno videbit ad Pontificis pedes, aureum sacerdotii sui iubilaeum celebrantis, provolutam. Ex ore Christi in terris Vicarii fidei et caritatis thesauri profluent; oh utinam! quisque in suam civitatem fermenta haec, quibus Deus mirabilem privilegium concessit pacem creandi et firmandi inter populos, religiose perferat; ut sentiant omnes, ipsisque qui populis sunt praepositi, res adversas atque in spe deceptions hortari, ad animi valores esse consugiendum, quippe quibus unice commissa est salus universi orbis.

POPLICOLA.

VARIA

IN ANNUM MCMXXIX

VOTA.

Latina Musa, quae bifrontis assoles dei rogata nuntiare gaudia, meisque vota ferre item sodalibus, iter reversus ut resumit annum, patrumque more Janus ambit omnium domos benignus, et bona adstat alite, libenter, oro, te velint amiculi, quot ipsa adibis, hoc datura carmine, meum quibus scatet cor usque sensibus, videre: nempe «Havete!» Musa, praeccines, «et hocce quae die, sodalium optime, tibi expetis tuisque, dedat haec Deus, et ipse honestet volens res tibi tuas: quod Alafridus auspicatur adfore. Latini Apollo sic secundus adnuat mihi perenne, parvulae licet, decus, — ubi tot heu! vigent inepta! — carminis!» Fer haec amica, Musa, ni repelleris; datoque munere artis, haud pecuniae, bene omnibus precata, tum redambula.

Ips. Kal. Ian.

ALAFRIDUS BARTOLI.

Basilii imperatoris ingratus animus.¹

Basilius, celeber Romanorum in Oriente imperator, feras quadam die per invias silvas venabatur, quum cervum nactus eximiae magnitudinis eum adortus moratusque est, iamque id hasta pugnabat, ut occideret. Strenue se tuens cervus adeo progressus est, ut impetum faciens ramum cornuum in cingulo renum infixerit, sublatumque iam esset interempturus. Nobilis vir, qui forte unus aderat, celerrime accurrens ingenti animo gladium nudavit, cingulum recidit atque imperatorem ex fau-

¹ Italice scripsit P. SEGNERI.

cibus fati eripuit. Redditur vespero ad regiam, iamque evulgata fama facinoris creberrima turba magnanimum aulicum convenient gratulantes, quod tantum boni ei fors obtulisset, ut principis vitam servare posset. Alii ad supremum inter principis comites locum eo ipso vespero evenendum putabant, vel saltem in optimatum ordinem adsciscendum: alii magnifica dona, alii splendidas affinitates, alii illustres titulos augurabantur, quum imperator, qui, ut mos est multis in excelso positis, nimis grandi beneficio inferiori homini se devotum non patiebatur, quid facit ingratissimus? Carnificem repente arcessit, et quod manus in imperatoris personam inicere ausus esset, homini caput abscondi iubet; et illico iussum peractum est, stupentibus cunctis, qui, quem fere throni principem futurum esse censabant, eum super truncu palpitan tem viderunt.

*

**

Corvus.

Alitibus regem electuris dies est statuta, qua universi convenient, ut eorum pulcherrimo imperium deferretur. Corvus, deformitatis sua conscientis, quas ceterae aves amisissent, pennis quaeritatis, arte summa se exornavit, atque ita omnium pulcherrimus evasit. Mox omnibus convenientibus, et corvus alienis pennis indutus in concionem venit. Quem ob eximiam venustatem regem erant dicturi, quum, fraude detecta, suas quisque ei pennas indignatus abstulit; sicque nudatus, corvus ridiculus abiit.

*

**

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Puls ex fungis.

Artocreas de tergore suis, iure concreto circumvolutus.

¹ Ex italicis fabulis N. TOMMASEO.

*Helianthi tuberosi in butyro fricti.
Phasiani, inserto conciso lardo, assi.
Acetaria Russica.
Cupedia, spumato mali autrei succo
imbuta.*

locosa.

Tuccius: — Rigidissimo hoc hyeme,
oh! quantum mallem esse flumen!
— O insulse, ecce?...
— Quia nunquam e lecto exire!

Tuccius in schola.

MAGISTER. — Quid est speculum?

Tuccius: — Vitrum.

— Non quidem simplex vitrum; aliquid
huic addendum est...

Tuccius (post aliquam moram): — Ah!
Corona.

Aenigmata.

I

Non sum, nullus eram, neque quisquam me
[capit usquam.

Totum verte retro: tibi fausta malumve canen-
[tur.

II

Altera eundi vox est; altera postulat ut des;
Amiae collectae, mons sacer in Phrygia.

Aenigmata in fasciculo mens. Decem-
bris MCMXXVIII proposita his respondent:
1) Os-iris; 2) Sol-amen.

LIBRORUM RECENSIO.

Prometheus. Carmen ALEXANDRI MINGARELLI (Mutinae, typis Vincentii et nep. MCMXXVIII).

Nuper editum est Mutinae, curante Thoma Sorbelli, egregium Alexandri Mingarelli Grizzanensis poëma, idiomate latino con- scriptum, versibusque heroicis, cui est titulus *Prometheus*. Hoc in primis sane videbitur improbandum, quod in evulgando carmine romano eloquio exarato, qui ei praefatus est

sermonem italicum usurpet, ut professores Maximi Bononiensium Ephebei laudibus exornet, sub quorum disciplina Alexander Mingarelli litteras arripuit, sibique aliquam in litteris famam comparavit. Et quam melius, et, mea quidem sententia, quam aptius fecisset, si in suorum memoriam ante omnes revocasset I. B. Pascoli, qui litteras italicas tradidit in eodem Archigymnasio, sed optime in latino eloquio instructus, perpetuum sibi praemium prosecutus est apud Batavos ab Instituto Amstelodamensi, quod eius carmina amplissimis honoribus decorata impensis suis excudebat.

Alexander noster optimam studiorum rationem secutus, graviorisque magistri exempli vestigiis insistens, egregium adeo scribendi modum est assequutus, ut facilem sibi viam ad laudes aperuerit.

Hoc enim carmen, etiamsi nimis antiquitatem redoleat et longe omnino argumentum ad conscribendum deprompsit, paucula tandem, tamquam necessitate compulsus, quae ad nostra tempora respiciunt, ingeniose idem que castissime evulganda putavit.

Eius tamen dictio tota latina est, et nunc Ovidium refert, nunc et dignitate Vergilium. Quum vero suus omnino esse voluit, egregia Italorum aetatis sua facinora versibus magnifice exornat, et nobilem ducem gloriose memorat, qui cum sociis, immortali audacia, ad incertas septentrionis plagas perrexit, atque in ultimis universi orbis litoribus patria vexilla collocavit.

Verum cur de Cruce silet, quam, adclamantibus omnibus, a Romano Pontifice Maximo ipsi oblatam, in sollempni illa mundi solididine, gratulatus, clarissimus aëris navarcha depositus? Ubi vero plurima nitent, non ego paucis offendar maculis. Itaque et ego Editoris votum laeto animo accipio, Deumque enixis precibus deprecor, ut, eo adiuvante, in nobis semper fortis generentur Quique decus nostrum properant renovare vetustum Imperiumque, Quirine, tibi amplificare per orbem.

I. B. F.

Libri dono accepti.

Divi Thomae Aquinatis Summa Theologica in breviorem formam redacta usui seminariorum aptata, auctore FR. IOANNE LOTTINI O. P., Commissario Generali S. Officii. — Pars secunda: De motu rationalis creaturae in Deum. — Augustae Taurir. ex off. Marietti. (Ven. lib. 25).

Prof. D. LORENZO TOMASO REGATTIERI. *La vita della vita.* Abbozzo di apologetica eucaristica. Vol. 2. — Indidem. (Ven. lib. 36).

Mons. Dr. FRANCESCO MENNINI. *Il Seminarista in Seminario.* Istruzioni e consigli. —

Terza edizione interamente riformata. — Indidem. (Ven. lib. 3,50).

Sac. VINCENZO MUZZATTI. *Fior da fiore.* Fatti, aneddoti, spunti, episodi brillanti e di attualità per rendere la parola di Dio gradita ed efficace. — Indidem. (Ven. lib. 9).

ERRATA CORRIGE. — In fasciculo sup. mens. Decembri nonnulli typorum errores irreperserunt. Sic in primo articulo « tertium iustum » factum est tertius; et vox « alteram » iterata est. In carmine autem « Lilia mixta rosis », vers. 18 scribendus erat: *Tardos ingenii nec sine linguis ope.*

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE, TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

STANISLAUS FUGIENS [11]

DRAMA HENRICI NOZZII, S. I. 1790 subca. maiuscula, certa. —

PAULLUS.

Ardeo adhuc imis pulmonibus.
Volo parumper captare auram, ut me hac

BILINSKIUS.

Credo id proderit apprime.

PAULLUS.

Quod dixi memineris.

BILINSKIUS.

Tace.

SCENA V.

BILINSKIUS, NAEVOLUS, deinde FULCIUS.

BILINSKIUS.

Ego huic cum fervet maxume, obsequor ma-

xume

Tam placidum ut reddam quam est ovis:

[namque ubi nimius deferbuit

Ille aestus, facile impello quo volo. Nunc idem

[eveniet spero.

NAEVOLUS.

Credo scilicet.

BILINSKIUS.

Quis hoc loquitur? Tu, Naevole?

NAEVOLUS.

Ego ipsissimus. Nempe rem pulcram incep-
[tastis, quantum audio.

BILINSKIUS.

Quid ais?

NAEVOLUS.

Hinc amandare vultis minorem herum.

BILINSKIUS.

Tu ne ista curas? Os ferreum vide! Ito jam

lautum patinas,

Aut quod dicere nolo; nam si te posthac

[unquam sensero...

NAEVOLUS.

(Crabronem excitavi; fugio hinc, nam sca-
[pulae mihi perpruriunt).

BILINSKIUS.

O servulum audacem et maleficum! Ut sese

BAZIMATE [rebus omnibus

Immiscet, et odoratur omnia.

FULCIUS.

Heus agedum, tecum ille vult

Quiddam consulere tuo si odorem ait in

BILINSKIUS. Quisnam?
 FULCIUS. Paullus.
 BILINSKIUS. Hinc a me abiit modo.

FULCIUS. Sic est. BILINSKIUS. Quid facit?

FULCIUS. Auram capit. BILINSKIUS. Optume.

SCENA VI.

FULCIUS, deinde STANISLAUS.

FULCIUS. Iamdudum dubito quorsum haec evasura sint: Adolescens calidus, liberioris appetens Vitae, magistrum nactus qui conniveat Aut sibi obsequatur, ecquid datus est spei? Non vult imitari? Sineret saltem illum alterum, pudorem, continentiam Suo sectari arbitrio... Sed eccum. Salve, mihi.

STANISLAUS. Fratrem quaerito: vidistin?

FULCIUS. Cum Bilinskio est.

STANISLAUS. Adibo.

FULCIUS. Irato noli accurrere.


STANISLAUS. Istuc ago, Quomodo fratri animum exulceratum miti- [gem. Fulcius.]

Tu vero cavebis, si me audis et diligis.

STANISLAUS. Quamobrem, Fulci?

FULCIUS. Ne gravius illum asperes:

Si vis monebo te, cum erit opportunitas.



STANISLAUS. Habeo gratiam. FULCIUS. (Quam multa huic preferenda sunt! Neque ego iuvare opere vel consulendo queo). SCENA VII.

STANISLAUS. Ei quam dudum meditor peragendae rei Aut haec praecipua est occasio, vel nulla est futura is posterum. Frater quamquam dissimulet, in id tempus imminet animo Quo me remittat domum ad patrem. Praeterea Bilinskius, quantum ex eius abdito Et ambiguo sermone intellexi, illud scilicet Suspicatur quod est, me tacitam moliri fugam. Nullam ergo interponendam decrevi moram: Inveniam caussam, qua istis curam omnem parumper eximam, Ut ne de profectione mea quid cogitent, Meque alibi versari, non abiisse existument. Iter capessam pedes, atque alienis ignotus vestibus; Nec usquam peregrinandi finem fecero, Donec exposcenti atque exoranti denique Aliqua Loiolidum mihi patescat domus. Qui erit, haec cum rescierit, mei dolor patris, Qui me amat unice? Vos ego testor, Superi, tamen Quod nulla mihi tutior sese monstrat via Aut spes parendi vestris monitis. Te quoque Ignarum, frater optime, discussus mei Cogor linquere, inque salutatum, cum alloquar Postremum. O frater mihi vita ipsa carior! Nunc tute vale, vos et valete ceteri, Qui fide meriti de me fuitis optima. Sed tu, caelestis Virgo, mea dulcis Mater, Amor meus omnis, quae memet revocasti a mortis limine, Quae vultu, alloquio, risuque beasti tuo, Si tua nunc iussa exequor, si laetus ac volens Omne adeo et subeo discrimen, ut placeam tibi, Mi felix ades, tu dubii dux esto itineris, Tuque meis orsis da successus prosperos.